



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

X. Ita Scripturæ loquuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

X.
Ita Scri-
ptura lo-
quuntur.

Majusne umquam fuit crimen
Christicidio? De Christi tamen
Passione Deus ipsemet dicit Isaïæ
cap. 53. *Propter scelus populi mei percussi eum.*
Non dicit, percussere Sacerdotes invidiâ,
percussit Cayphas consilio, percussit Ju-
das proditione, percussere Judæi linguâ,
percussit Pilatus injustâ sententiâ; percus-
sere carnifices crudelitate: sed ego *percussi*
eum. Quia scilicet in Christi Passione
Deus primus erat actor & motor, qui tot
perverfas & impias hominum voluntates,
velut optimæ & sapientissimæ Providen-
tiæ instrumenta admovebat ad Filii sui
cruciatum simul, & ad salutem Universi.
Dubitari non potest, quin peccata pluri-
ma in bellis aut inchoandis, aut ducendis,
partes suas agant. Bella tamen sibi Deus
tribuit, quasi causæ primariæ: quia quid-
quid in bellis agitur, ejus justitiæ servit in
puniendis populorum criminibus, & mi-
sericordiæ in corrigendis. Ambitio Chal-
deos in Judæam immittit: eâ utitur vin-
dex Deus ad castiganda Judæorum pec-
cata, idque Ezechieli ostensum in curru,
multi-

multiformibus animalibus juncto, cujus habenas vindicta divina moderabatur. Apertius id à Michæa pronuntiatum c. I. *Descendit malum à Domino in portam Ierusalem.* Ain' tu à Domino venisse? Nonne ab injusta potiùs Babyloniorum cupiditate profectum est? Imò & à Babylonis venit malum, ut à caussa instrumentaria: sed à Deo accidit, velut à caussa primaria. Eâdem sententiâ Habacuc cap. I. post longas de infælicitate populi sui querimonias, & de Chaldaicæ gentis victoriis, velut sibi ipsi respondens: *Domine, inquit, in judicium posuisti eum, & fortem Chaldaum, ut corriperes Judæos, fundasti eum.* Eò semper reditur, hostes instrumenta Dei esse, justè & misericorditer vindicantis: quia mala quidem voluntas nocendi ab ipsis est, at potestas nocendi non est nisi à Deo, illam concedente ob fines optimos, quia optimus est. Similem in modum cap. 2. descripta obsidione Babylonica per Darium & Cyrum, ubi latrocinia, homicidia, stupra, aliâque innumera flagitia contigère, ait, *Numquid non hæc*

hæc sunt à Domino Deo exercituum? Hæc
cine, inquit, à Deo? Tot mala ab optimo.
Planè ab illo sunt, non quâ peccata, sed
quâ noxia. Malæ & injustæ voluntates,
ambitiosorum Regum, cruentorum sa-
tellitum, luxuriosorum militum, instru-
menta fuère optimæ ac justissimæ vo-
luntatis.

XI. Hinc ad usum nostrum colliga-
Dei manus mus; Primò, quidquid nobis
in omnibus eveniat negligentia, ignorantia,
adspicienda. imprudentia, malevolentia aliena vel no-
stra, statim convertendos ad Deum ocu-
los, velut ad motorem primarium. Deus
hoc permisit, nec permisit nisi volens
permittere; eaque permissione ob justas
causas posita, malo ipso bonus ad bo-
num utitur: admovet errores meos &
alienos ad utilitatem meam, velut artifex
instrumenta operi perficiendo: sicut
operarius sapientissimus efficere quod cu-
pit, & quibus videtur instrumentis. Nihil
agent, nisi quatenus movebuntur à do-
ctissima manu, & aliquid se dignum pro-
ducturâ, nisi opus ipsum nodosæ volun-
tatis